

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Scytharum subactio per signum crucis nostræ deuictorum. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

E V S E B I I D E V I T A

*Scytharum subactio per signum crucis nostræ  
deuictorum.* C A P . V .

**I**A M verò quid attinet illa minime necessaria recensere, quemadmodū barbaras & immanes gentes sub Romanū imperiū subiecerit: & vt Scytha & Sauromatarū nationes, qui nunquā parere populo Romano didicerant, primus is sub iugū miserit, coegeritq; eos vel inuitos profiteri Romanos esse rerū dominos. Nā cū superiores imperatores vētigalia Scythis persoluerent: ipsiq; Romani à barbaris seruitute presi quotannis tributa penderent: cū hæc cōditio imperatori minime ferēda videretur, alienumq; existimaret ab omnium gentium victoris dignitate, perinde vt maiores suos tributum pendere: seruatoris sui ope præsidioq; confisus, triumphale illud signum contra istos etiam obtendens breui spacio omnes superauit: & reluctantes quidem armata manu coercens: reliquos prudentibus legationibus placans, ab inulta & fera vita ad humanam ciuilemq; traduxit. Atque ita tandem aliquando Romanis Scytha parere didicerunt.

*Sauromatarum subactio per seruorum contra dominos  
tumultum.* C A P . VI .

**S**AUROMATAS vero Deus ipse imperatoris pedibus substrauit: quos barbara superbia elatos, hoc modo fregit & cōfressit. Cum à Scythis Sauromatæ inuaderentur: seruosq; suos cogerētur armare, vt eorum vim & impetum repellerent: postquam penes seruos victoria constitisset: hi iam eadem arma, quibus cōtra hostem vī sunt, in dominos conuertunt, omnesq; suis sedibus & domiciliis deturbant. At domini salutis portum præter Constantinū reperiebant nullum. Is cum solitus esset salutem dare miseris: omnibus in Romanam regionem receptis: quos idoneos reperibat, in suorum militum ordines referebat: reliquis vero ad necessarios vitæ vī agros ad colendum diuidebat: vt fortunatè & fœliciter hanc sibi calamitatem accidisle faterentur, quando immanem feritatem cum Romana libertate commutassent. Sic Deus immānium barbarorum vniuersas gentes imperatori parere fecit.

Vario-